



DE
G R A V I D A R U M
A F F E C T I O N I B V S
EARVMQUE CURA.

Prooemium.

Quae solemnis esse solet difficultatis, in argumenti alicuius per tractandi selectu obuenientis, excusatio eorum, qui aliquod qualiscunque doctrinae suae specimen publico eruditorum examini subiicere tenentur, eam ego quoque nolo accipere, cum nimis frequenti vsu soleat esse obsoleta, nec vi amplius excusationis pollere. Quod vero arduam gravemque graviditatis, et in ea necessario habendae muliercularum curae aggressus sim doctrinam, id magis excusari debere videtur. At vero, non in animum induxi, omnem omnino morborum cateruam persequi, qui vtero gerentibus infesti sunt, nec omnia ea exhauriā, quae Clinice de illis obseruanda praecipit, quippe quae, si recte et ex arte exponenda essent, spissum magis volumen efficerent, nec commode academici speciminis limitibus coercerentur.

Grauiditatis natura.

Priusquam vero longius progrediar, grauiditatis natura dilucidanda venit, sine cuius notione de eius affectionibus recte dici plane nequit. Feminam igitur grauidam dicimus, quae, post foecundum coitum, homunculum vtero concepit, inque eo fovet atque

A